



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pax cordis inter aduersa & quosuis euentus quânam obtineri possit: quare
Deus permittat amicos suos alijs exerceri & discrucari. Epist. LVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Pax cordis inter aduersa & quosuis euentus quinam obtineri possit : quare Deus permittat amicos suos ab alijs excipere & discrucari.

Epistola LVI.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS.
sorori in Christo charissimæ spiritum resignationis & patientiæ.

Quæris à me filia qua ratione possis pacem pectoris inter quoslibet euentus inuolabilem retinere ne turberis nimium. Itaque tota virtute ac omni studio enitendum est, vt non habeas propriam voluntatem, id est, non aliam quam Domini voluntatē, illam solam eligas, optes, ac præferas, & semper inuenies requirētem, & pacem, ac immortam animi tranquillitatem. Quid turbaris? Ostendit ille tibi signa, dedit verba, addiditq; vt putas, contemptum, omnia iniuriosa (ita enim tibi persuades). An hæc præter voluntatem diuinam, an sine prouidentia diuina hæc facta sunt? Ab æterno voluit Deus, vt hac hora tu hæc patereris, & tu nunc obmurmuras? Sed non, inquis, murmuro, contristor tamen. Vt quid tristaris, nisi quia putas indigna te pati, quæ & inuita pateris? Non vides coronam æquanimiter, id est, cum resignatione cordis patientibus reddendam, idcirco tristaris. Non attendis prouidentiam diuinam, ideo manes deiecta. Et quæ es, vt cogitabundo irrefignatoq; animo te audeas opponere Deo? Factum est quod voluit ille. Quid tu interea facies? Fac vt tibi vtiliter factum sit, quod propter te, id est, in rem tuam factum est, id est, quod in salutem tuam fieri voluit Deus.

Et quomodo, inquis, voluit Deus malum? Non vult, non iussit vt illa, quæ contristauit te, faceret malum, sed voluit vt tu sustineres malum: hoc enim est bonum velle. Sustinendo enim crescit tibi bonum, quod vult Deus. Ergo voluit Deus vt tu sustineres. Quod vt fieret dimisit illam, quæ aduersata est, in infirmitate sua, vt faceret malum, quod tibi fieret (si tu non obsteteris) bonum. Ergo illa propter tuam vtilitatem à Deo, & in tuum profectum dimissa est, vt irrogaret malum, quod tibi esset bonum. Cur ergo irascaris, quod illa non prohibita est, non retracta Dei custodia (vt tibi patientiæ accederet corona) sed lapsa, & in tuam vtilitatem lapsa, vt & ipsa (postquam tibi patientiæ occasionem meritorumq; copiam aduexit, per penitentiam feliciter aduersa a-

refurgat, quæ dispensatione quadã diuina cecidit, id est, cadere est permissa? Gratias igitur age Deo & diuinæ eius prouidentię, gratias age sorori, per quam placendi Deo & acceptiorem te facendi, gratiarum quoque ab eo maiorem copiam recipiendi nacta es occasionem.

Intellige, quia vt tu patereris, vtilissimè ac felicissimè voluit Deus: vt illa patienti materiam offerret, permessa est à Deo. Imò & fortè vt & illa lugendi, penitendi & humiliandi se materiam sibi ipsi consciret vtiliter permessa est. Semper igitur prouidentiam diuinam aspice, ab homine ad Deum recurre, eius beneplacitum accepta, & homini nihil nisi ministerium tui profectus imputa. Homines Dei instrumenta sunt, quibus ille ad suorum salutem vtitur: ita vt nouit singulis quibusque

expedire. Vale filia, & pro me Deam ora.

Aduersa vt electis acciderent ab ære, no præsumum.

Malum vt non velit sed permittat Deum.

Gratiæ vt sint Deo in aduersis agendæ.

Ex-